



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 116. Generalis Processio in memoriam Parisinæ Urbis in Regis
obsequium revocatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

faniores reprobabant, cauffati, quod hic honor debitus fuisset Magistratibus adeo fidelibus, qui sua bona litabant, imo ipsam quoque vitam suam pro Regis defensione exponebant.

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

§. CXVI.

Generalis Processio in memoriam Parisinæ Urbis in Regis obsequium revocatæ.

Altera die vigesima nona ejusdem Mensis Martii, quæ ab urbe in Regis potestatem tradita erat octava, solemnibus ibidem habebatur supplicatio, in qua sacræ reliquiæ, quæ in regio Sacello asservantur, circumferebantur, præsentate ipso Rege, omnibusque Regni, suæque Aulæ Ministris, qui illius latera stipabant, præter ingentem Procerum, & Nobilium multitudinem. Intererant quoque omnes Curiæ, urbisque Magistratus, omni populo tanta frequentia conflente, ut urbem per sex annorum bellum afflictam, ac morbis, & fame dire vastatam, proinde longe ultra mediam partem incolis suis depopulatam fuisse credi vix posset. Eadem occasione Carolus Mironus Andegavensis Episcopus in Ecclesia Cathedrali orationem prorsus eloquentem habuit: cum autem a tanta Auditorum multitudine excipi haud posset, hinc in

Thuan. l. 2.
Mem. de
l'Étoil. t. 2.
pag. 210.
Journal
d'Henry IV.
t. 1. p. 13.

Sæcul. XVI. in quadam Episcopalis Palatii aula quidam ex Ordine sancti Augustini Religiosus ad populum dicebat: præterea observabatur, quod omnes Religiosi Mendicantes huic supplicationi interfuerint, exceptis Fratribus Prædicatoribus, quibus interesse prohibitum, quin huius interdicti ratio eis manifestaretur. Porro hæc supplicatio deinceps passim nominabatur Regia supplicatio: Die autem trigesima ejusdem Mensis Senatus promulgato edicto cuncta, quæ Regiæ auctoritati, regniq[ue] legibus adversa vigente fœdere gesta fuere, tanquam nulla, & irrita declarabat, simul omnibus Regis subditis injungebat, ut deserto unionis studio Regiæ suæ Majestati obsequium, obedientiam, fidemq[ue] præstarent. Denique hanc supplicationem quotannis celebrari decrevit vigesima secunda Martii die, qua Parisiensis Urbs in Regis obsequium redacta fuit.

§. CXVII.

Seditiosi ex urbe Regis jussu expulsi.

*Mem. l. c.
p. 215. t. 2.
Satyr. Menippæe edict.
17.6. p. 518*

Postquam hoc edictum fuerat promulgatum, eadem die ad Regionum Urbis Tribunos scheda, seu index mitebatur illorum, quos Rex sibi suspectos habuit, eosque tanquam homines Sexdecimanorum factioni penitus addictos

e Pa.